

gloriosam semper virginem Mariam theotocon siue deiparam appellare proprie et secundum veritatem, illos festinauimus, quae sit recta christianorum fides edocere. Nam hi incurabiles cum sint, celantes errorem suum passim circumeunt, sicut didicimus et simpliciorum animos exturbant et scandalizant ea astruentes, quae sunt sanctae catholicae ecclesiae contraria. Necessarium igitur esse putauimus tam haeticorum vaniloquia et mendacia dissipare quam omnibus insinuare, quomodo aut sentiat [91r:] sancta Dei et catholica et apostolica ecclesia aut praedicent sanctissimi eius sacerdotes, quos et nos secuti manifesta constituimus ea, quae fidei nostrae sunt, non quidem innouantes fidem, – quod absit – sed coarguentes eorum insaniam, qui eadem cum impijs haeticis sentiunt, quod quidem et nos in nostri imperij primordijs pridem satagentes cunctis facimus manifestum. Credimus itaque in vnum Deum Patrem omnipotentem et in vnum dominum Iesum Christum Filium Dei et in Spiritum sanctum vnam essentiam in tribus hypostasibus siue subsistentibus personis adorantes vnam deitatem, vnam potestatem, Trinitatem consubstantialem. In vltimis autem diebus confitemur dominum nostrum Iesum Christum, vnigenitum Dei Filium, ex Deo vero Deum verum, ante secula et sine tempore ex Patre natum, coaeternum Patri, ex quo omnia et per quem omnia, qui descendit de coelis, incarnatus de Spiritu sancto et sancta gloriosa et semper virgine Maria et inhumanatus siue homo factus est et passus crucem pro nobis sub Pontio Pilato, sepultus est et resurrexit tertio die, vnus ac eiusdem passiones et miracula, quae sponte pertulit in carne, agnoscentes. Non enim alium Deum Verbum et alium Christum nouimus, sed vnum et eundem consubstantialem Patri secundum deitatem et consubstantialem nobis secundum humanitatem. Vt enim in diuinitate perfectus ita idem ipse et perfectus est in humanitate. Nam eius secundum hypostasim seu secundum personam vnitatem suscipimus et confitemur. Etenim Trinitas mansit Trinitas etiam post incarnatum vnum ex Trinitate Dei Verbum. Neque enim quartae personae adiectionem admittit sancta Trinitas. His ita se habentibus, anathematizamus omnem haeresin, praecipue vero Nestorium anthropolatram et qui eadem cum ipso sentiunt vel senserunt, qui diuidunt vnum dominum nostrum Iesum Christum, Filium Dei et Deum nostrum et qui non confitentur proprie et secundum veritatem sanctam, gloriosam et semper [91v:] virginem Mariam theotocon seu deiparam, id est Dei matrem, sed qui duos filios dicunt, vnum ex Deo Patre Deum Verbum, alterum ex sancta semper virgine deipara Maria gratia et habitudine et propinquitate, quam cum Deo Verbo habet, natum esse, et qui negant nec confitentur dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei et Deum nostrum incarnatum hominem factum et crucifixum vnum esse ex sancta consubstantiali Trinitate. Ipse enim solus est coadorandus et conglorificandus Patri et sancto Spiritui. Anathematizamus insuper et Eutychetem mente captum et qui cum eo sentiunt aut senserunt, qui phantasiam introducunt negantque veram natiuitatem seu generationem domini et saluatoris nostri Iesu Christi ex sancta virgi-